



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XL. De quarto Virtutum signo. Quòd singulari amore erga fidem
catholicam stagrârit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT XXXIX.

*De tertio Virtutum signo. Quòd pro defunctis ante
refectionem orare instituerit.*

ET quia præmemoratus devotus Prior libenter consueverat pro defunctis orare, idcirco etiam voluit, ut quodocunque Fratres ejus pro sumenda refectione aut collatione ante Refectorium consisterent, ibidem mente revolverent, quomodo in Purgatorii flammis animæ pro peccatis, & negligentijs suis punirentur, & quia cum materiali eleemosyna ipsis in solatium, & levamen suarum pænarum subvenire non possent, misericordiâ moti saltem eleemosynam spiritualem, videlicet Psalmum *de profundis*, cum Collecta Defunctorum, aut cum tempus pateretur Psalmum *Miserere*, cum prædicta Collecta, prout sibi ipsis in talibus pænis constitutis fieri vellent, illis ministrarent. O quàm benè agit ille Frater, qui spiritualem eleemosynam ante suam refectionem illis animabus ministrat! Dictus insuper etiam Prior in Refectorio ad mensam sedens quàm intentus Lectioni fuerit, nobis, qui præsentem eramus, certis indicijs manifestum fuit, & dum specialiter ad devotionem & fervorem permotus ibidem à deserviente legeretur, illum recenseri fecerat ab auditoribus, & per hoc attentos Fratres faciens, ut si fortè in alijs tum temporis lectis extitissent negligentes, saltem repetitum punctum attentius considerantes ad cellam mentaliter deportarent, insuper idem Prior ad majorem fructum spiritualem percipiendum parietibus quædam scripturarum puncta affigi fecit.

CAPUT XL.

*De quarto Virtutum signo. Quòd singulari amore erga
fidem catholicam flagravit.*

Cùm de fide catholica aliquid sibi legeretur speciali gaudio vehementer exultavit: etiam multum prædictus Prior ponderabat Domini DEI voluntatem, & quodocunque eam noverat, ut
in

in effectum duceretur, viriliter eam persequabatur: hanc ut agnosceret, dum in Missis Dominum DEUM quotidie in suis manibus tenebat, dumodo non omnino indispositus ad hoc erat, humiliter ei supplicans petivit, ut in hoc vel illo voluntatem ejus notam sibi faceret, & ob hoc interdum de manibus suis eundem non dimisit, nisi benedictionem super ejus agnoscenda voluntate recipere mereretur, velut S. Jacob cum Angelo luctans non dimisit eum, nisi prius benedictus ab eodem. Ordinavit denique rememoratus Pater & instituit, ne Fratres ejus diebus celebribus, & festivis per totum antemeridie usque dum prandium meridianum factum fuerat, in publico extracellas, sine vestimento nuptiali, videlicet sine cappis aut superpelliceis, secundum quod tempus sese offerebat, incedere deberent quovis modo, quod statutum in propria sua Persona observabat, ut autem de prædicti Patris ulteriore devotione aliquid præsentibus annotetur, noscant universi præsentiarum perlectores, quod iste Venerabilis Pater antequam temporalium curâ propter subditorum paucitatem minus premebatur, cum Conventu Chorum continuè frequentabat; dicebat namque, quod nullibi libentius esset super terram, quam in Divino Officio peragendo, ubi internum suum hominem sæpius dispersum in diversa recolligeret.

C A P U T XLI.

De ejus Spirituali devotione in Divino Officio.

QUamplurimi adhuc de nostris sunt, quibus ejus fervor & devotio, quam non solum in Choro sed & alijs in locis gessit, fuerunt manifesta, nam quemadmodum S. David præ exultatione mentis saltaverat ante Arcam, ita iste devotus Pater pro singulari devotione, & fervore in suo stalli ante benedictum Jesum omnium Salvatorem elevationes quasdam sui corporis sæpius faciens tripudiare videbatur, & quodammodo saltus facere, quapropter quia satis ipsi familiaris eram, quadam vice eundem interrogavi dicens in hunc modum: *Pater cur sic saltando stas in Choro?* & mihi respondens ait: *Frater lætitiâ cordis mei ita tripudio, ob ipsius formam, qua*

L 2

ante